

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

XXXV

15.

Q. D. B. V.

SPECIMINA DIFFERENTIARUM JURIS COMMUNIS & JURIS GALLICANI circa MATERIAM FORI COMPETENTIS,

PRÆSIDE

D. JOHANNE HENRICO FELTZIO.

Prof. JCto & Cap. Thom. Canon.

SOLENNI disquisitioni sistet

Ad D. 13 Junij M DCC XII.

JACOBUS BARBIER,

Ponteaudomaria-Normannus.



ARGENTORATI,

Typis Viduæ JOH. FRIDERICI SPOOR.

SPECIMINA DIFFERENTIARUM JURIS COMMUNIS ET JURIS GALLICANI circa MATERIAM FORI COMPETENTIS.

Proœmium.

BOni utique in Rep. Principis & prudentis Legislatoris est, in administratione justitiæ; quam per alios exercere, cum ipse huic rei solus haud sufficiat,

ficiat, omnino cogitur; concin-
num introducere ac ita ſtabilire
ordinem, ut cuique, qui hoc no-
mine aliis præficitur, ſui in jure
dicendo & cognoſcendis cauſis
præſtituantur termini ac limites.
Verum finis hac ratione inten-
tus nunquam obtinebitur, niſi &
judices ipſi, &, qui litigaturi ſunt,
regulas ita præſcriptas exacte ob-
ſervent; itaque ſanctio pœnalis
addenda fuit, cujus vigore, quæ
neglecto judiciorum ordine per-
agentur, in irritum caderent.
Hinc prima merito quæſtio

 actio-

actionem instituturo occurrit, quodnam sit *forum competens*; hoc enim totius judicii contentiosi fundamentum est, quo deficiente nullum est, quicquid agitur. Videbatur proinde dignum hoc argumentum, de quo in cathedra dissereretur; coeterum, cum apud Commentatores *ff. Cod.* & inprimis *Decretalium* abunde reperiatur excultum; aliqua tantum seligere placuit, conferendo jus commune cum jure Gallicano. Sit itaque

SPECIMEN PRIMUM,

Circa competentiam fori ex loco solutionis in contractu destinato.

JUre Romano, si quis, se soluturum aut daturum esse aliquid in certo loco, promiserit, non potest conveniri coram judice loci, ubi contraxit, sed conveniendus est in loco solutioni destinato *l. un. C. ubi conveniatur, qui certo loco dare promisit.* Ratio est in *l.* 21. *ff. de obl. & act.* contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo, ut solveret, se obligavit. Quod si tamen locus, ubi promisi sive contraxi, sit ille ipse, in quo domicilii forum agnosco, potero ibi conveniri, *l.* 19. §. 2. *ff. de jud. l.* 1. 2. & 3. *ff. de reb. auct. jud. possid.*

In Gallia vero locus, ubi rei promissæ fieri debet solutio, non attribuit aut fundat jurisdictionem; sed promissor debet conveniri, ad id, ut executioni committat

pro-

missum, coram judice domicilii sui, nec hic locus datur judici loci, in quo merces aut res promissa tradenda est vel solvenda, prouti ita Arresto, quod vocant, sive supremæ Curiæ sententia judicatum fuisse d. 20. Nov. 1564. annotavit *Bacquet in Tractatu des droits de Justice cap. num.* 27.

Ampliatur hæc juris Gallicani thesis (1): etiamsi contrahens aut promittens se obstrinxerit sub sigillo Regio; nec enim apud Gallos in considerationem venit, vel locus, ubi contractus fuit celebratus, vel locus solutioni destinatus; sed unice ad domicilium ordinarium debitoris respicitur, ubi de competentia fori quæritur. Nimirum Sigilla in Gallia non attribuunt jurisdictionem, excepto Parisiensi, Aurelianensi, & Montispessulani teste *Ferriere ad d. tit. Cod. Angelus in praxi Gallic. p.* 30.

Ampliatur (2.): etiamsi partes contrahentes diserta in contractu formula se subjecerint judici alii, quam, qui respectu debitoris est locus domicilii. Non obstante enim hac submissione debitor coram tali

 judice

judice conventus, declinatoriam exceptionem proponere poterit, cuius hæc erit operatio, ut judex teneatur eum remittere ad judicem domicilii. Eſt quippe ex analogia juris Gallicani regula perpetua: in actione perſonali actor ſequitur forum rei, id eſt, tenetur eum perſequi coram judice ſuo, id eſt, domicilii, quam in rem Edictum Henrici II. R. G. de A. 1560. allegat *Ferriere d. l.* conf. tamen *Angelus in Praxi Gallic. lib.* 1. *cap.* 2. *q.* 31.

SPECIMEN SECUNDUM,

An coram judice incompetente ad citationem comparendum?

JUre Communi legitimæ quidem citationis hic eſt effectus, ut obliget citatum ad comparendum; cœterum, ſi à judice incompetente emanet, perſonæ citantis qualitas inefficacem reddit citationem, ita, ut vocatum ad comparendum minime coarctet, docente *Lancelot. Inſt. III.* v. 3. qui tamen notanter hanc theſin reſtringit ad caſum

ſum, *ubi* citato, citantem *non eſſe* judicem *competentem, manifeſtum eſt.*

Quod ſi enim dubium hoc ſit, comparere debere citatum & incompetentiam judicis allegare, etiam Practici teſtantur, *Gail. I. O.* 48. *n.* 8. *Mynſing. VI. O.* 7. *add. Gædd. de Sequeſtr. c.* 1. *n.* 7. Et tum judicem ipſum, cui incompetentia opponitur, de juriſdictione ſua cognoſcere poſſe, & Juris Romani tenori conforme deprehenditur in *l.* 2. §. 6. *l.* 5 *ff. de jud.* & ita ſervari, teſtatur *Gail. I. O.* 34. *n.* 1. *Zanger. p.* 2. *c.* 1. *n.* 447. Add. *Canoniſtæ in c. cum ordinem de reſcr. & in cap. parati de appell.* Atque per hanc diſtinctionem inter incompetentiam citantis notoriam & dubiam conciliare nituntur DD. antinomiam apparentem, quæ conſpicitur intercedere *l.* 3. *ff de jud.* cum *l. ſi quis ex aliena eod.* In priori nimirum habetur: *non videri contumacem, qui præſens judicium ſuſcipere non compellitur*; in poſteriori autem: *quod, ſi quis alienæ juriſdictionis, & non proprie per Prætorem fuerit citatus, tenetur coram Prætore* com-

comparere, quia alias procederetur contra eum tanquam contumacem; & huic concordat *l. 2. ff. si quis in jus voc. non ierit, & cap. cum persona X. de privileg.*

Ampliant porro DD. thesin de manifesta incompetentia, quod justam emanendi citato causam præbeat, ita, ut procedere etiam dicant quoad judices delegatos, e.g. si causa sit commissa pluribus sine clausula: *si non omnes &c.* & pars tantum eorum citat, ut in *c. prudentiam pr. & ibi not. cum cap. seq. de offic. deleg.* fac. *cap. ex literis eod. & cap. si duobus de appell. add. Speculat. in tit. de cit. col. 2. vers. item quod &c.*

Differentiam tamen in hac materia inter judicem delegatum & ordinarium notant in eo, quod judex *ordinarius* habeat fundatam intentionem quoad omnes, qui reperiuntur in eius territorio, & ideo in eo citatus teneatur comparere coram Ordinario citante juxta generalem regulam prædictæ *l. si quis ex aliena*; delegatus autem non habeat territorium, neque habeat intentionem suam fundatam quoad jurisdictio-

dictionem, nisi ostendat literas delegationis *cap. cum in jure de offic. deleg.* & ideò citatus per eum non teneatur comparere, nisi in citatione sit inserta copia prædictæ delegationis, vid. *Aloysius Riccius ad d.l. Lancelotti.*

De *jure Gallicano* vero, &, quod illud hic sit diversum, *ibid. Jo. Solier JCtus Gallus* notat; *apud nos*, ait, *citatus coram judice non suo tenetur comparere; alias expensis, quas frustratorias vocant, subjacebit.* Nimirum in regno Franciæ, cum fons omnis jurisdictionis à Regia Majestate procedat, adeoq; hactenus dici queat, judices omnes aliquo modo repræsentare Regem; hic iis citantibus, modo revera charactere judicum sint insigniti, honor exhibendus est à citatis, ut coram iis se sistant, ibique exceptionem fori declinatoriam, si quam habeant, rite proponant. De his ipsis porro judex tenetur summarie procedere in cognoscendo & judicando, nec potest hanc cognitionem ordinario & principali processui adiungere, & quidem sub pœna nul-

 litatis,

litatis, vid. *Constit. Regia de A.* 1667. *Tit. V.*
art. 3.

Cœterum observatu digna est differen-
tia inter casum, ubi judex est incompeten-
ex defectu jurisdictionis resp. loci person-
vel causæ, &, ubi ipse quidem est judex or-
dinarius, cuius esset, cognoscere; sed per-
sona citata peculiari munita est privilegio
cuius vigore, ut ad alium judicem caus-
ablegetur decidenda, postulare potest. In
priori enim exceptio incompetentiæ alle-
gari potest in quacunque parte litis; in po-
steriori autem ab initio statim, ubi com-
paret, citatus proponere debet exceptio-
nem in privilegio suo fundatam, excluden-
dendus alias ab ea, si ullo facto jurisdictio-
nem agnovit vel adprobavit. Sed hoc qui-
dem & Juris communis analogiæ est con-
gruum; vid. *l. privatorum* 3. *Cod. de jurisd.*
jud. Bartol. in l. si convenerit ff. de jurisd.
& l. si quis in conscribendo Cod. de pact.

SPECI-

SPECIMEN TERTIUM.

Si quis privilegium fori Clericale coram judice seculari adducat, & dubium sit, an sit Clericus, cuius sit cognoscere?

JUre Canonico hæc cognitio tribuitur judici Ecclesiastico; ita enim disponit Bonifacius VIII. in *cap. si judex.* 12. *de sentent. excomm. in* 6. adiecto tamen moderamine, ut judex secularis vel alius, cuius intersit, dum res huiusmodi cognoscitur, vocetur. Rationem decisionis suæ Pontifex ipse exhibet, nimirum; ubi quæritur, an quis sit Clericus, necne, *controversiam* hanc *esse de re Ecclesiastica & spirituali.* Et est equidem perpetuum in jure Canonico axioma, de re spirituali nec principaliter nec incidenter debere se judicem laicum intromittere. *cap. tuam de ord. cognit. & cap, per venerabilem, qui filij sint legitimi & simil.* Verum, utrum quæstio, de qua agitur, sit de re spirituali, non immerito

 inde

inde ſubſiſtas, quod ſit quæſtio facti tantum, qualis, etiamſi in cauſa ſpirituali verſetur, mere profana eſſe videtur, nec quicquam ſpiritualitatis habere, adeoque omnino à judice Laico definiri poſſe, conf. *Umminus de Proceſſu diſp*. 4. *n*. 72. Addunt etiam rationem, quod ſc. ſi oriatur controverſia ſuper juriſdictione inter judicem Eccl. & ſecularem, illius deciſio ad Eccl. pertineat, *quippe qui maioris eſt auctoritatis*, *vid. Covarr. pract. quæſt. c.* 33. *n*. 1. *Clar.* §. *fin. q*. 36. *n*. 2. Verum, utrum hæc ratio iis ſatisfaciat, qui juriſdictioni Eccleſiæ competentis, externæ nimirum, originem munificentiæ ſummorum Principum adſcribunt; inter quos & JCtos Gallicanos computamus; ego quidem vehementer dubito.

Sane non obſtante hac Papæ deciſione contrarium pluribus in locis receptum eſt; ita in Ducatu Mediolanenſi e. g. facti quæſtionem eiuſmodi coram judice ſeculari expediri, teſtatur *Julius Clarus* JCtus & Conſiliarius Hiſpanicus *lib. rec. ſent.* §. *pract.*

crim.

crim. q. 36. *n.* 21. Idem apud Allobroges obſervari, ſcribit *Petrus Coſtalius* ex iſthac ditione oriundus *ad l.* 5. *ff. de judic.*

Cum porro hoc jus Bonifacium VIII. auctorem agnoſcat, cum quo graviſſimæ inimicitiæ interceſſerunt Philippo Pulchro, eò minus mirandum eſt, quod in uſum fori Gallicani haud fuerit receptum. *Papone* enim teſte *Decret. lib.*1. *tit.*V. *n.*38. ibi in caſu, quem poſuimus, judex Laicus cognoſcit, an ſua ſit juriſdictio, ita, ut, niſi reus doceat de qualitate Clericatus, ad forum Eccl. non veniat remittendus. Idem *l.c. num.*4. teſtatur, in Gallia cognitionem de habitu Clericali, utrum talis revera ſit, an minus, ſæculari etiam judici tribui, licet de jure communi inter Canoniſtas adhuc acriter contendatur, ad Eccl. an ad ſecularem judicem pertinere debeat, vid. *Scaccia de Judic. lib.I. c.*XI. *n.*82. *ſeq. Tiber. Decian. lib.*4. *crim. c.* 9. *n.* 95.

SPECIMEN QUARTUM,

Circa forum privilegiatum personarum miserabilium in possessorio.

UTi multa in favorem personarum miserabilium, quales sunt viduæ, pupilli, orphani &c. in jure deprehenduntur singularia constituta; ita in eundem censum venit, quod *Jure Canonico* statutum, ut re sua spoliatæ interdicto recuperandæ agere possint directò apud judicem Ecclesiasticum, ut maxime reus fuerit Laicus, & ipsa etiam res temporalis. Ita enim Honorius III. in *cap.* 15. *X. de for. compet.* Berengariæ Angliæ Reginæ, Richardi I. viduæ, quæ spoliata à nobili quodam, interdicto unde vi actura Papam hanc ob rem adiit, iudices dedisse delegatos legitur, &, cum incompetentiæ exceptio à nobili opponeretur, eam reiiciendam esse decidit. Equidem *Covarruvias pract. quæst. cap.* 6. *num.* 1. in *d. cap.* supponit negligentiæ suspicionem

nem in judice seculari; qua ratione nihil hic peculiare esset constitutum; si enim constet, judicē secularem tam inferiorem, quam superiorem suo in administranda justitia officio deesse, quilibet laicus etiam haud miserabilis ex analogia juris Canonici alterum etiam laicum potest in causa civili ad Judicem Eccl. trahere, *cap.* 10. 11. *X. de for. comp.* add. *Nov.* 86. Verum suppositæ huius negligentiæ in textu nec vola occurrit, nec vestigium; res, de qua agebatur, erat feudalis, itaque nobilis prætendebat excipiendo, cognitionem de ea ad dominum feudi pertinere, non ad Judicem Eccl. Regina nihil replicat de negligentia Judicis feudalis; quod omnino factura fuisset, si reapse aliqua commissa fuisset, cum ita ex tenore Canonum fuisset causa ad forum Eccl. legitime devoluta; sed ad privilegium personæ suæ ac statui adhærens recurrit, & in eo se fundat: esse se viduam, & sub singulari Ecclesiastici judicis tutela, quippe ad quem spectet, viduas defendere, posse igitur se irrequisito feudi domino, detento-

tentorem rei suæ apud Eccl. judicem suu
defensorem convenire. Potius ergo e
ut ex communi DD. sententia textu
hunc in vim privilegii miserabilibus pers
nis quoad forum competentis interpret
mur, præcipue, cum & alii textus eidem p
trocinentur, vid. *can.* 1. *&* 2. *dist.* 87. *can.*
quis 21. *caus.* XXIV. *q.* 3. *cap.* 26. *in fin. de V.*
& concurrat odium spoliatorum ab una,
favor personarum miserabilium ab alte
parte; unde inducti sunt quidam interpr
tum, ut spoliationem talium hominu
crimen sacrilegii esse statuerent, cuius pro
inde cognitio ad Ecclesiam pertineat, vi
Innoc. ad c. 15. *cit. n.* 2. *&* 3. *Abb. ibid. n.* 1
Martha de jurisdict. cap. 21.

Verum enim vero, etiamsi hæc de Jur
Canonico communi & in theoria omnin
sint veritati congrua; in praxi tamen vi
est, ut ullibi obtinere adserantur; ita cita
tus supra *Covarruvias* d. l. communem
hanc Canonistarum opinionem in pra
receptam haud fuisse, testatur, censetque
apud Regia tum *Galliarum* tum Hispania
rum

rum Prætoria riſui fore, ſi quis eam allegare velit. *Henricus* etiam *Pirhing* recentior Juris Canonici & operoſus interpres non poteſt diffiteri, ſi communem praxin & conſuetudinem ſpectemus, minus jam uſitatum eſſe, ut cauſæ profanæ miſerabilium perſonarum etiam quoad poſſeſſorium ad judicem Eccl. deferantur, idque, ait, ita contingere propter oppoſitionem judicum ſecularium. Addit indignabundus, *contra hos* tamen, *judices laicos* nimirum, *Epiſcopi proteſtari deberent*, ne jura ſua remittere vel negligere videantur, quod nec facere poſſunt, cum ſit contra Canones. *Laym. ad c.* 15. *cit.*

Equidem id in confeſſo eſt, Eccleſiæ, & qui eidem ſunt à miniſterio, viduarum, pupillorum &c. curam ſingularem divinitus eſſe ſerio & graviſſimis iniunctam formulis; verum exinde jus quoddam adminiſtrandæ eiſdem juſtitiæ quî deduci queat, haud videmus. Eſt & judicibus & Magiſtratui, quem ita dicimus, politico hoc in præceptis ſub ſevera comminatione datum, ut ne perſonis huiuſmodi jus ac ju-

 ſtitiam

ſtitiam denegent, ut omni eas ratione pro-
tegant, ac tueantur. Faciat ergo, quiſque
quod ſui eſt muneris, & in ſolatium miſe-
riæ operoſe concurrant, hi quidem juſti-
tiam adminiſtrando, illi autem eleemoſy-
nas erogando, intercedendo, ſpiritualia im-
pertiendo &c.

Quod ſi quis *in Gallia* querelam *Pir-
hingianam*, proponeret, credo id reſponſ-
laturum fore, quod Magiſtratus olim Re-
gii Guil. Durando Epiſcopo Mimatenſi
cum ille Eccleſiæ iniuriam fieri querere-
tur, quod conſtitutiones Eccleſiaſticæ de
rebus ſecularibus latæ à Regibus & judici-
bus negligantur, dedere: *actus judicum
Eccleſiaſticorum, qui ſe his rebus immiſce-
rent, eſſe abuſus*, vid. *Petrus de Marca* Ar-
chiepiſcopus Pariſienſis *de concord. Sacerd.
& Imp. lib. IV. cap.* 15. §. 4.

SPECIMEN QUINTUM,
Ubi Clericus actione reali conveniatur?

JUre Communi exemptionem Clerico-
rum à juriſdictione ſecularium judicum
Cano-

Canoniſtæ plerique adeò extendunt, ut & in actionibus realibus eos coram judice Eccleſiaſtico tantum conveniri poſſe cenſeant. Adducunt hanc in rem *cap. 5. X. de for. compet.* ex quo per argumentum à contrario ſenſu colligunt, quod ſuper re Eccleſiæ vel Clerici laicus conveniri poſſit coram judice Eccl. ſi conſtet, rem eſſe Eccl. vel Clerici, idque adverſarius non neget. Hinc ergo porro deducunt, multo magis judici Eccl. locum dari, quando Clericus eſt reus & convenitur ſuper aliqua re, ſive actione reali. Provocant etiam ad *cap. fin. X. de judic.* ubi habetur, quod, ſi Clericus judicio poſſeſſorio egit contra Laicum coram judice ſuo, ſc. ſeculari; eo finito non cogatur reſpondere ſuper jure proprietatis apud eundem judicem; ſed debeat conveniri coram ſuo judice nempe Eccl. contra tenorem juris communem *l. 10. C. de jud.* in quo connexio cauſarum hoc nomine reperitur ſtabilita, Multo minus ergo conveniri poſſe Clericum coram judice ſeculari, quando non dividitur cauſarum continentia, ſed ſimplici actione reali ille conveni-

tur. Nec obſtare putant, quod in actione reali perſona non dicatur obligata, ſed res §. *omnium Inſt. de Act*. Reſpondent enim, perſona ſit exempta à juriſdictione alicuius etiam res & bona eius exempta eſſe, niſi pe ſe & propriam ſibi obligationem realem habeant. *Laym. lib*. 4. *tr*. 9. *c*. 5. *num*. 1. add *Auth. ſtatuimus Cod. de Epiſc. & Cler* Principium quoque, quod ipſis obiicitur ſortiri quem forum ratione loci, ubi res ſit eſt, limitant: niſi perſona ſit privilegiata & omnino exempta, uti Clericus à foro ſecu lari; tunc enim locum eſſe regulæ *l. ult. C ubi in rem act*. Hæc ita de jure Canonico

Cœterum in Camera Imperiali Germaniæ aliter receptum eſſe ſc. quod, quando cauſa realis eſt inter Clericum & laicum, ea tractari debeat coram judice laico, teſtatur *Gail. l. O* 37. *n*. 4. *& Mynſing. Cent*. 1. *O*. 22.

In Gallia autem, quod proprie ad inſtitutum noſtrum pertinet, jam à pluribus ſeculis id juris fuiſſe, ut de actionibus realibus, quibus Clerici conveniuntur, non judex Eccl. ſed Regius judicet, manifeſtum eſt ex iis, quæ habentur in libro, cui titulus:

Preuves

Preuves des Libertéz de l'Eglise Gallicane pag. 120. *& seqq.* ubi Carolus Rex Galliæ Archiepiscopo Lugdunensi & aliis Episcopis ad querelam Procuratoris Generalis severa formula interdicit, ne in actionibus in præiudicium jurisdictionis secularis judicare audeant, decreto in Parlamento Parisiensi dato A. C. 1371. Ita etiam *Jo. Galli* Advocatus Regius in Curia Parisiensi *quæst.* 41. recenset, A. C. 1385. Arrestum seu Placitum Curiæ pronunciaatum fuisse, eius tenoris, quod judex Ecclesiasticus non possit cognoscere de actionibus realibus; erat contra Episcopum Cabillonensem his verbis conceptum, *que l'Evêque de Chalon ne faisoit avoir ne reçevoir à maintenir, qu'en sa Cour spirituelle il peut connoistre d'une action reelle.* Laudat hanc sententiam tanquam notabilem pro jurisdictione seculari contra Ecclesiasticam, quam tamen multos admodum miratos esse ait; sed addit rationem decidendi ab absurdo desumptam: *Si le contraire eut eté dit, il eut fallu le Roy & les*

autres

autres Seigneurs temporels aller plaider en Cour de Rome des rentes fiefs & Seigneuries temporelles, qui eust eté un tres-grand inconvenient. Rationem aliam juris huius suppeditat Procurator Generalis in Parlamento Provinciæ; hic enim, cum Officiales Papæ A. C. 1517. inter alia, quæ innovata dicebant contra jurisdictionem Ecclesiasticam, etiam quererentur, *quod quoad bona nullus Clericus gaudeat privilegio Clericali in provincia Provinciæ*, respondet: *quod bona immobilia Clericorum sint sub protectione & salva guardia Regia*, & quod propterea judicis Regii sit, de iis cognoscere, vid. d. librum *des Libert. de l'Eglis. Gallic. pag.* 377.

Ampliatur hæc juris Gallicani thesis, ut & in mixtis procedat; nec enim de his etiam cognoscere aut judicare potest judex Ecclesiasticus, vid. *Angelus in Praxi Gallicana lib.*1. *cap.*1. *q.*10.

rris
cla-
ficia-
vam
nafti-
bona
rica-
quas
prote-
quod
osce-
Gal

hesis,
e his
uder
xi